



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXXIV. De Blasphemia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

52 Erotem. Eccles. Cap. XXXIV. De Blasphemia.

clisiarum, seu locorum piorum, vel Montis pietatis? *Resp.* Per Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 11. de refor. latam esse excommunicationem contra prædictos, quæ est reservata Papæ, & à qua absolvi non possunt, nisi facta restitutione; & procedit non solum contra usurpantes dicta bona, vel fructus tanquam sibi debitos; sed etiam contra detinentes injuste vi, vel clam; dummodo sciant ea, vel eos pertinere ad Ecclesiam, vel pia loca; ut pluribus DD. citatis demonstrat Thesaur. de Penit. Eccles. part. 2. Verb. Usurpatio cap. 1. num. 1.

6. *Quer.* An beneficiati cædentes arbores fructiferas Ecclesiæ, ut eas vendant, vel sibi retineant, incurrant in dictam censuram? *Resp.* Asserere Bonacinam; Azorium negare, quos refert Thesaur. d. Verb. Usurpatio cap. 1. Vers. Item quod procedat.

7. *Quer.* An sit alia poena præter Censuram contra Usurpantes bona prædicta? *Resp.* Contra Patronos esse privationem juris patronatus, & contra beneficiatos privationem beneficiorum; sed dicta privatio non ligat ante sententiam declaratoriam. Thesaur. d. cap. 1. Vers. Nota secundo, saltem in foro exteriori; quia multi volunt, quod in foro conscientie obliget etiam ante sententiam. Thes. ibid.

8. *Quer.* An præter poenas à Concilio Tridentino inflictas extet alia Constitutio? *Resp.* Esse Bullam in Cæna Domini, quæ in cap. 17. excommunicat Usurpantes Jurisdictiones, fructus, & bona spectantia ad Sedem Apostolicam, vel ad alias Ecclesias, seu personas Ecclesiasticas. Thesaur. d. Verb. Usurpatio cap. 1. num. 2.

9. *Quer.* An licitum sit dare in Emphyteusim bona Ecclesiarum, *Resp.* Negative, nisi de licentia Summi Pontificis, per Extravag. Ambrosio. De Rebus Ecclesiæ non alienan. in qua prohibita sunt alienationes, & locationes ultra triennium; & si de facto fiant, sunt nullæ. Mart. decis. 86. Novar. in Summa Bullar. Comment. 129. num. 3. part. 2.

10. *Quer.* An requirantur ad habendam licentiam alienandi, seu locandi ad longum tempus? *Resp.* Utilitas Ecclesiæ & licentia Summi Pontificis. Novar. ibid. num. 1. & 2.

11. *Quer.* Quomodo cognoscatur utilitas Ecclesiæ? *Resp.* Quando ejus conditio melior, & locupletior sit; idè, si tantum recipiat, quantum dimittit, non dicitur Utilitas. Rota part. 2. rec. decis. 430. num. 6. Novar. d. Comment. 129. num. 6. 7. 8. & 9.

12. *Quer.* Quanta debeat esse Utilitas Ecclesiæ ad alienationem faciendam? *Resp.* Eam relinqui Judicis arbitrio. Rot. part. 1. divers. decis. 674.

13. *Quer.* Si alienatio facta sit sine solemnitatibus, an possit infringi non solum ab Ecclesia, sed etiam ab emptore? *Resp.* Affirmative. Capell. Tholosan. decis. 97. Novar. ibid. num. 13.

14. *Quer.* Si retractetur alienatio tanquam male, vel nulliter facta, an sint restituendi fructus? *Resp.* Affirmative. Rota par. 1. divers. decis. 14. Novar. ibid. num. 16.

15. *Quer.* An subastationes sint necessariae

in alienatione bonorum Ecclesiæ? Negative, ut pluribus citatis probat Novarius contra Redoan. & Gratian. contrarium docentes, d. Comment. 129. num. 29. & 30.

16. *Quer.* An detur casus, ut possint bona Ecclesiæ alienari sine licentia Summi Pontificis? *Resp.* Dari duos casus; Unus est, si Terra alienanda sit modici valoris, cap. Terrulas 12. q. 2. Alter, si bona sint incognita, vel incerta, aut difficillimæ recuperationis, Rota part. 2. recent. decis. 631. Novar. d. Comment. 129. num. 43. quod est notatu dignum.

17. *Quer.* Quomodo cognoscatur, an Terra sit modici valoris? *Resp.* Quando ejus valor non excedit vigintiquinque scuta aurea. Gavant. in Manuali Episc. Verb. Alienatio num. 24. Etsi verius sit, quod circa valorem, & modicitatem ejus stetur arbitrio Episcopi, Riccius Collectan. 3054. Barbofi, in d. cap. Terrulas.

18. *Quer.* An liceat alienare bona Ecclesiæ cum clausula, Salvo beneplacito Apostolico? *Resp.* Negative, & qui sic alienaret, & traderet rei possessionem, incurreret censuras. Riccius par. 1. res. 53. in Praxi.

19. *Quer.* An Confraternitates, vel Oratoria possint sua bona alienare absque licentia Summi Pontificis? *Resp.* Cum distinctione; nam si dictæ Confraternitates erectæ sunt cum decreto Episcopi, alienare non possunt, quia sunt Religiosæ, vel sine decreto Episcopi, seu Papæ sunt fundatæ, & possunt alienare; quia non sunt Religiosæ. Barbofi de Jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 11. num. 88. Bonacin. tom. 1. de Alienat. bon. Eccles. disp. 2. q. unic. punct. 2. num. 10. & Sperell. decis. 155. num. 1. 2. & 3.

20. *Quer.* Quenam poenæ inflictæ sint contra alienantes bona Ecclesiæ sine solemnitatibus? *Resp.* Esse inflictam excommunicationem, quam tamen non incurrunt alienantes ex Juris, & facti ignorantia, Sperell. d. decis. 155. num. 15.

21. *Quer.* An facta conventionem alienandi, si Rector Ecclesiæ moriatur, antequam expeditum sit Beneplacitum Apostolicum, possit successor recedere à conventionem, quando Beneplacitum præsentatur? *Resp.* Negative. Rota, quam allegat Sperell. d. decis. 155. num. 84.

CAPUT XXXIV.

De Blasphemia,

1. *Quer.* Quid importet hoc nomen Blasphemia? *Resp.* Importare Idololatricam, ut Eisdæ cap. 9. Fecerunt blasphemias magnas, & Cap. Cum sis. De Judæis. Item importare quamcumque maledicentiam. Cap. Si igitur. 34. qu. 4. lib. Apud Labeonem. §. An Praetor. ff. de Injur. At ex communi consuetudine maledicentia est, quæ fertur in homines, blasphemia vero, quæ fertur in Deum. S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1. Gloss. & DD. in cap. 1. & 2. de Maledic. Menoch. de Arbitr. Jud. casu 375. num. 13. & 18. Illustrissimus D. Ant. Riccius Archiepiscopus Cosentinus

rus

us in suo eleganti tractatu De Personis, qua in statu reprobo versantur lib. 1. cap. 1. num. 2.

2. *Quer.* Quid sit blasphemia? *Resp.* Quod est Contumelia verbo in Deum prolata, vel Sanctos. Dicitur Contumelia, tum, quia comprehendit quancunque injuriam alicui factam. lib. 1. ff. de Injur. tum, quia Verbum, ut sit blasphemia, debet esse contumeliosum, non autem materialiter tantum prolatum, & sic non sunt blasphemi Notarii, & Judices, qui scribunt in processu verba blasphemiae à delinquentibus prolata. Ricciull. ubi supra num. 3. dicitur Verbo, tum, quia hoc vitium est proprium linguae. Job cap. 5. ibi Imitaris linguam blasphemantium, tum ad distinctionem factorum, quibus fit contumelia, non autem blasphemia propriè sumpta. Novar. in Summ. Bullar. par. 1. Comm. 33. num. 3. Sed appellatione Verbi intelligitur etiam blasphemia prolata clamore, & scriptura. 2. Paralipom. cap. 23. Dicitur in Deum, vel Sanctos. Quia utroque modo blasphemia committitur. Novar. dict. Comment. 33. num. 3. Vers. Tertiò dicitur; prolata sive ore, sive corde, quia etiam intenus tantum blasphemari potest, ut infra demonstrabitur.

3. *Quer.* An blasphemia differat ab odio Dei, à desperatione, à perjurio, & ab infidelitate? *Resp.* Differre, quia hæc omnia peccata constitunt formaliter in pravo cordis affectu absque detractioe divini honoris; at blasphemia formaliter constitit in ipsa divini honoris detractioe contumeliosa. Suarez d. Relig. tit. de Irreligiosis. lib. 1. cap. 6. num. 8.

4. *Quer.* Quanta sit gravitas peccati blasphemiae? *Resp.* Esse incomparabilem, & inexplicabilem, ut docent S. Thom. 2. 2. qu. 15. art. 3. Farinac. in Praxi lib. 1. q. 20. & Julius Chertar. decis. 2. num. 1. & seqq. Et ea demonstratur ex Levitic. cap. 24. ubi Juvenis, qui in rixa blasphemaverat, iussus est à Deo lapidari; & non fuit excusatus neque ob iracundiam, neque ob locum castrorum; & ab ipso Deo fuit condemnatus, ut eruditè demonstrat Ricciull. d. lib. 1. cap. 3. ubi num. 14. ait, blasphemos esse canibus peiores, quia non mordent Dominos suos, & exteris delictis blasphemiam esse graviorem, quia ad eam nulla voluptas, nullumve luctum impellit, ut ad alias culpas accedit. Et ideo Sancti Patres etiam hoc nomen horruerunt, & ejus loco usurpabant benedicere, ut Job 1. & 3. Reg. 21. Et propter blasphemias venire Pestem, Famem, Terramotum, & alias plagas Divinae Justitiae, testatur Imp. Justinianus in Auth. Ut non luxurientur S. Praterea.

5. *Quer.* Quibus modis blasphematur? *Resp.* Tribus modis, Primò per modum simplicis maledictionis, quoties nomen Dei maledicatur, vel execratur. S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1. Graff. de Casibus reserv. cap. 10. num. 27. Secundò per modum convitii. Et Tertiò per modum irrisionis. Decis. Cler. Patavinum Anno 1682. Mense Maio ad tertium. Ricciull. alios DD. allegans d. lib. 1. cap. 4. num. 2.

6. *Quer.* An Verba dubia sint interpretanda pro blasphemia? *Resp.* Cum distinctio-

ne; vel proferens est persona malae qualitatis? & tunc interpretantur pro blasphemia; vel est bonae conditionis? & statuer ejus declaratione. Ricciull. d. cap. 4. n. 5. & seq.

7. *Quer.* An sit blasphemus, qui protulerit hæc verba: *Mal habbi, non dico Dio, vel Sia maledetto di.* retenta ultima vocali? *Resp.* Affirmare Hostien. de Blasphem. num. 12. & de Maledic. num. 117. Sed negare constanter DD. quos allegat, & sequitur Ricciull. d. cap. 4. num. 14. & 18. ubi tamen dicit, sic dicentes esse puniendos ob nimiam temeritatem, & scandalum.

8. *Quer.* An sint verba blasphemiae. *Mal habbi Dio becco, vel Dio Christoforo, vel la Vergine Giovanna?* *Resp.* Non esse verba blasphemiae, sed temeritatis, & scandalii. Ricciull. d. cap. 4. num. 17.

9. *Quer.* Quid judicandum de his verbis. *Dio becco Diavolo. Sia maledetto quel becco, che me tiene al Mondo.* *Resp.* Prima verba judicari blasphemia; non etiam secunda, quia per ea alius à Deo potest censeri, qui eum teneat in mundo, nempe alimenta præbens. Ricciull. ubi ante num. 21. & 22.

10. *Quer.* An maledicere Virgini Mariae, vel Apostolo, sit blasphemia? *Resp.* Affirmative, quia per antonomasiam intelligitur de Deipara, & de S. Paulo.

11. *Quer.* Quomodo quis dicatur blasphemare per modum Convitii? *Resp.* Quando tribuit Deo, quod illi non competit, vel aufert à Deo, quod illi competit, vel tribuit creaturae; quod soli Deo competit. Ricciull. d. lib. 1. cap. 5. in princ.

12. *Quer.* Quando quis blasphemet per irrisionem? *Resp.* Quando quis dicit de Deo, vel Sanctis suis aliquod verbum tendens ad injuriam, vel irreverentiam, ut est *Potta di Dio. Potta di nostra Donna.* Farinac. in Praxi qu. 20. num. 16. & seqq. Ricciull. d. cap. 5. d. num. 2. usque ad finem.

13. *Quer.* An sit blasphemia, Jurare per Corpus Dei, aut per membra, vel per Sanguinem Dei? *Resp.* Rigorose loquendo, esse blasphemiam, & quidem haereticalem, quando quis intelligeret de Deo, tanquam est Deus; ut Theologi docent, & Canonistae, quos cumulat, & sequitur Ricciull. d. lib. 1. cap. 6. à num. 1. & seqq. nisi excusaret ignorantia, vel inadvertentia, vel relatio ad Deitatem in Christo.

14. *Quer.* An Jurare per membra Christi sit blasphemia? *Resp.* Si nominentur membra verecunda, erit blasphemia ob irrisionem, & irreverentiam. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 23. num. 6. Novar. d. Comm. 33. num. 3. vers. secundo. Si membra honesta, & absque irreverentia nuncupata, non erit blasphemia. Ricciull. ubi supra num. 9. & seqq. ubi tamen damnat hanc formam Jurandi.

15. *Quer.* An una blasphemia differat specie ab alia blasphemia? *Resp.* Negative, quia, licet una differat ab alia in gravitate, tamen omnes blasphemiae sunt ejusdem speciei, scilicet quia earum malitia est contra Religionem. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. qu. 10. Ricciull. plures DD. referens d. lib. 1. cap. 7. ubi num. 3. ait, blasphemias in Sanctos

54 Erotem, Eccles. Cap. XXXIV. De Blasphemia.

ctos non differre specie à blasphemia in Deum; idemque esse de blasphemia in Crucem, & alia Instrumenta passionis Domini. Verum tamen est, quòd est differentia quo ad poenam; quia alia poena punitur blasphemans Deum, vel Deiparam, & alia poena, qui blasphemat Sanctos. Farinac. *de Delict. & penis* q. 20. num. 27. Prout etiam differentia est, quo ad modum se accusandi in Confessione, nam debet poenitens explicare, an blasphemaverit Deum, vel Deiparam, vel Sanctos, ratione majoris, vel minoris gravitatis. Sanchez *in Præcept. Decal. lib. 2. cap. 32. num. 39.* Ricciull. *d. lib. 1. cap. 7. num. 10.* Decisiones Cleri Patavini Anno 1682. *Mense Maio ad 2. Casum, & Mense Junio ad 3. Item Decis. de Poenitentia Decis. 27. num. 3.*

16. *Quer.* Quotuplex sit Blasphemia? *Resp.* Quòd alia est simplex, & alia est hæreticalis. Novar. *d. Comment. 33. num. 6.* Prima est, quæ infert contumeliam in Deum. Secunda, quæ asserit de Deo aliquid, quod sapit hæresin, & hæc specie differt à blasphemia simplici, quia ultra contumeliam in Deum continet errorem contra fidem; prout differt specie illa, quæ procedit ex odio formali in Deum, quia opponitur charitati, qua tenemur diligere Deum, & ideò sunt specificandæ in Confessione non tam ratione gravitatis, quam mutationis speciei. Sanchez *d. cap. 31. num. 38.* Ricciull. *d. cap. 7. num. 14. & seqq.* Et ego docui de Poenitentia *d. Decis. 27. num. 3.*

17. *Quer.* An detur blasphemia interna? *Resp.* Affirmativè, & est illa, quæ corde profertur contra Deum, sive ob malum affectum voluntatis, sive ob errorem intellectus; juxta illud: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Psal. 13. & Job 1. Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo (i. e. blasphemaverint) in cordibus suis.* Ita Ricciull. *d. lib. 1. cap. 8. ubi advertit, talem blasphemiam non subiacere poenis humanis, nisi sponte reus illam confiteatur in Judicio.*

18. *Quer.* An detur blasphemia consistens in factis contumeliosis citra verba quæcunque? *Resp.* Esse hinc inde Doctores, sed vtiorem opinionem esse negativam, quia facta contumeliosa in Crucem, in Imagines, aut Res Sacras, non sunt veræ, & propriæ blasphemie, sed actus contumeliæ contra Religionem, qui etiam poena mortis puniuntur. Jul. Chartar. *d. decis. 102. num. 18.* Menoch. *Casu 396, & Ricciull. d. lib. 1. cap. 9. per totum.*

19. *Quer.* An blasphemia hæreticalis debeat perneceffe continere errorem contra fidem? *Resp.* Negativè, quia Dæmones maxime sunt blasphemii, ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 4. & tamen credunt, & contemniscunt. Jac. 1. ideò, satis est ad faciendam blasphemiam hæreticalem, quòd in ea aliquid sit contra fidem licet blasphemus errorem contra fidem non teneat. Ricciull. *DD. allegans d. lib. 1. cap. 19.*

20. *Quer.* Quænam sit blasphemia dicere: *La farò al dispetto di Dio.* Vel *Vogli, ò non vogli Dio?* *Resp.* Esse blasphemiam hæreticalem secundum Clarum S. Blasphemia num. 2. &

alios citatos per Ricciull. *d. cap. 10. num. 15.* quia detrahit Dei potentiam, quamvis infernum sentiat Bald. *conf. 476. lib. 3.*

21. *Quer.* An sit blasphemia, si creditor dicat debitori renuenti solvere, *Mi pagherai, se si opponesse la Vergine Maria?* *Resp.* Negare Mascard. *de Probat. conclus. 195. num. 8.* Affirmare Clarum *in S. Blasphemia.* & Farinac. *de Delictis, & Penis* q. 20. num. 15. cui adheret Ricciull. *d. cap. 10. num. 21. & 22.* quia sunt verba Deiparæ contumeliosa.

22. *Quer.* An liceat jurare per Deos falsos, vel per Diabolum? *Resp.* Negativè, quia esset blasphemia hæreticalis, nisi fieret joci causa. Cap. *Etsi Christus. De Jurjurando.* Ricciull. *d. cap. 10. num. 30. & 31. ubi DD.*

23. *Quer.* An sit blasphemia dicere: *Hoc est ita verum, sicut verum est, Christum esse natum ex Maria Virgine, vel sicut est verum Evangelium?* *Resp.* Esse blasphemiam hæreticalem, quando sic loquens intenderet asserere, tantam esse certitudinem in Evangelio, vel Incarnatione Domini, quantam in illo suo humano negotio. Secus autem, si loqueretur ad significandam veritatem, & tam magnificandam, DD. apud Ricciull. *d. cap. 10. num. 35. & 36.* & Covarruvias *in cap. Quamvis de Pædis par. 1. §. 7. num. 9. vers. 11.*

24. *Quer.* Quis dicatur blasphemus consuetudinarius? *Resp.* Ille, qui tribus distinctis actibus, seu temporibus blasphemavit. Dicitur *distinctis*, quia si in uno, & eodem tempore successivè etiam decies blasphemet, non dicitur consuetudinarius; quamvis gravius peccet, imò tot peccata committat, quot blasphemias profert. Azor. *part. 1. lib. 4. cap. 4. q. 5.* Ricciull. *d. lib. 1. De Personis in statu reprobo versan. cap. 11. num. 6.*

25. *Quer.* Quot peccata committat, qui unico contextu blasphemat Christum, & Apostolos? *Resp.* Tredecim peccata committere, quia peccatum habet tot malitias, in quot personas profertur. Baldellus *in Theol. Moral. tom. 1. lib. 2. disp. 22. num. 3.* Ricciull. *ibid. num. 11.* & sic, qui unico ictu occideret tres Clericos, incurreret tres excommunicationes. Novar. *in Man. cap. 6. num. 19.* & Sayr. *de Censur. lib. 1. cap. 10. num. 9. ad fin.*

26. *Quer.* Quomodo probetur quis esse blasphemus? *Resp.* Per duos testes saltem, qui deponant, eum blasphemare audivisse tribus vicibus distinctis, quando agitur de poena ordinaria inferenda; alias non poterit deveniri, nisi ad poenam extraordinariam. Ricciull. *pluribus citatis d. lib. 1. cap. 13.*

27. *Quer.* Quæ sint poenæ statutz in blasphemos? *Resp.* De Jure Mosayco erat lapidatio. *Levit. 24.* De Jure Civili mors naturalis. *Auth. Ut non luxurentur contra naturam §. 1. & 2.* De Jure Canonum excommunicatio. *Cap. 2. de Maledic. & tandem de Jure Pontificio per Bullam 4. S. Pii V. impostæ sunt poenæ pecuniariæ Laicis, & Clericis secundum numerum, & qualitatem blasphemiarum; cum poenis etiam in corpore afflictivis, privatione beneficiorum, ut in ea videre est. Ricciull. d. lib. 1. cap. 14. qui num. 10. notat, hoc tempore contra Clericos in-*

figi

figi poenas ad normam dista Bullæ 4. S. Pii V. at contra Laicos, poenam esse arbitriam, pensata qualitate delicti, & personarum; quod docet etiam Chartar. decis. 2. num. 22. & Novar. d. Comment. 33. num. 1.

28. *Quer.* An blasphemantes facto, ut deturpantes Imaginem Christi, vel Sanctorum, possint puniri poena mortis? *Resp.* Affirmative. Menoch. Cas. 396. Vincen. de Franchis decis. 504. Ricciull. ubi supra num. 16. & sic factum fuit Venetiis contra nonnullos carceratos, qui tam nefarium crimen joci causa in carceribus commiserant Patavii; nam formato processu ab Excelso Consilio de Decem, combusti fuerunt in platea S. Marci, non multi sunt anni. De aliis locis similes punitiones refert Novar. in Summa Bullar. d. p. 1. Comm. 33. num. 3.

29. *Quer.* An in crimine blasphemiae Judex possit reo poenam remittere, vel ad componendum se gratiam facere? *Resp.* Negative, quia agitur de contumelia facta honori Divino, qui non cadit in arbitrio hominum. Franchus decis. 504. Idem neque Judex Laicus, neque Episcopus potest gratiam facere in hoc delicto. Ricciull. d. lib. 1. cap. 15. num. 6. & 7. ubi advertit, hoc crimen esse crimen mixti fori; & posse Judices procedere ex officio, & omnes possunt admitti ad ferendum testimonium. Sicut è contra blasphemus non potest esse testis, neque denunciator, & sufficit ad eum repellendum probare, quod sit publicus blasphemus; licet non sit condemnatus ut talis. Ricciull. d. lib. 1. cap. 16. num. 5. & 6. ac seqq. ubi subdit, quod licet testis blasphemus probaret, se nunc emendatum, nihilominus ejus dictum non valeret quo ad testificandum contra tertium, nisi ageretur in causa civili, vel civiliter.

30. *Quer.* An in crimine blasphemiae admittatur repulsa testium? *Resp.* Affirmative ad effectum tantummodo, ut innocentia non opprimatur, & veritas manifesta fiat. Ricciull. d. lib. 1. cap. 17. ubi num. 7. notat, eam præcipue admitti ex capite inimicitiae capitalis; ex capite conspirationis, & ex capite minoris ætatis, & defectus intellectus.

31. *Quer.* An stantibus indicis in crimine blasphemiae possit dari reo tortura pro habenda veritate? *Resp.* Cum distinctione, vel blasphemia est hæreticalis, vel sic enormis, ut poena corporis afflictiva veniat imponenda? & Reus potest torturæ subijci, etiam super Intentione. Vel non est talis, & poena infligenda est tantum pecuniaria; & in hoc casu non est danda tortura, quia esset major poena torturæ, quam delicti. Ricciull. d. lib. 1. cap. 18.

32. *Quer.* An dentur causæ, propter quas mitiganda sit poena blasphemantibus? *Resp.* A Doctoribus notari has causas. Primò, si consuetudo sit universalis in regione proferendi verba blasphemiae materialiter tantum, id est, sine opinione, vel advertentia ad sensum blasphemum. Secundò, si ex nimio dolore, vel iracundia ita homo è mente exeat, ut blasphemet. Tertiò, si statim se corripit, percutiendo pectus, aut os suum; nam actio injuriarum cessat revocatione et-

iam cum hominibus; undè èd magis cum Deo, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat. cap. Pium. de Penit. dist. 3. Quartò, si blasphemavit in magna ebrietate, quam incurrerat inadvertenter. Quintò, si est rusticus nesciens sensum verborum. Sextò, si impubes, quamvis S. Gregorius Dial. lib. 4. cap. 48. referat, puerum quinque annorum blasphemum fuisse à Diabolo dilaniatum, ut eruditè disserit Ricciull. plures DD. allegans d. lib. de Personis in statu reprobo Versan. cap. 19. per totum.

33. *Quer.* Quis sit Judex competens in crimine blasphemiae? *Resp.* Si blasphemia est hæreticalis, Judex competens est Officium S. Inquisitionis. Si est simplex, est mixti fori, & est locus præventioni, nisi reus sit Clericus, nam puniri non potest, nisi à Judice Ecclesiastico. Ricciull. ibid. cap. 20.

34. *Quer.* An, qui facit alium blasphemare, sit puniendus poena blasphemiae? *Resp.* Affirmative, dummodo sit causa efficax ad blasphemandum. Ricciull. c. 21. d. lib. 1.

35. *Quer.* An audientes aliquem blasphemantem, debeant illum corripere, & denunciare? Affirmative, quoad correptionem fraternam, tum ex Evangelio, tum ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 9. S. Ad Abolendam, quando hoc sine suo periculo facere potest. Quò verò ad denunciationem, si blasphemia est hæreticalis, est denunciandus blasphemus, sive publicus sit, sive occultus. Trivisan. lib. 2. decis. 51. num. 6. & 7. Farinac. De Hæresi quest. 197. num. 35. Baldellus in Theolog. Moral. tom. 2. lib. 1. disp. 61. ubi denunciationem, ait, esse faciendam sub mortali tam in blasphemia hæreticali, quam in non hæreticali, quamvis de hac ultima usus sit contrarius num. 8. At si blasphemia sit simplex, non est denunciandus, quando est occultus, & est spes emendationis. Ricciull. ubi ante d. lib. 1. c. 22. ubi n. 18. docet, in hæreticali blasphemia esse denunciationem faciendam in S. Inquisitione, nulla correptione fraterna præmissa; & num. 21. limitat, quando audiens timeret sibi aliquod magnum malum obventurum à denunciatione ex Menoch. in Casu 487.

36. *Quer.* An blasphemus gaudeat Immunitate Ecclesiae, ita, ut in ea capi non possit? *Resp.* Dissentire inter se Doctores, quorum tamen verior opinio est, quod Reus blasphemiae non hæreticalis gaudeat Ecclesiae immunitate. Gambacurt. de Immunit. lib. 4. cap. 9. Ambrosin. eod. tract. cap. 8. num. 10. & 11. At quòd reus blasphemiae hæreticalis minimè gaudeat, tenent iidem Doctores, quos cum aliis refert, & sequitur Ricciull. d. lib. 1. cap. 23. ubi num. 10. reddit rationem illam; quia scilicet talis delinquens præsumitur hæreticus; qui comprehenditur in Bulla Gregorii; & in ea positus est inter personas indignas Immunitate, & protectione Ecclesiae.

37. *Quer.* An à sententia condemnatoria contra blasphemum detur appellatio? *Resp.* Negative, quando fuit vel confessus, vel legitimis probationibus convictus; nisi opponeret de falsitate testium, quia illa potest proba-

probari etiam in gradu appellationis. Ricciull. DD. referens d. lib. 1. cap. 25.

38. *Quer.* An Clericus convictus de blasphemia, sit puniendus poena corporali, vel pecuniaria, quando beneficium non habet? *Resp.* Esse in ejus electione; an pecuniariam poenam, vel corporalem subire velit, eò, quia Bulla S. Pii V. loquitur alternativè. *No-var. in Summa Bullar. d. Comment. 33. part. 1. num. 10.* ubi eruditè notat; quòd, quando poena imponitur alternativa per legem, si verba dirigantur ad Judicem, electio poenae erit ipsius Judicis; si verò ad Reum, electio erit ipsius Rei; exempli gratia, qui fecerit tale delictum, solvat mille; vel exulet. Si autem verba sint dubia, puta poena talis delicti sit mille aureorum, vel exilii, tunc electio erit Judicis; quòd singulariter docuit Bartol. in l. Quicumque C. De Servis fugitiv. num. 4. & tradunt Felin. in cap. Inter ceteras. de Rescript. & Menoch. de Arbitr. lib. 1. quest. 96.

39. *Quer.* An blasphemia prolata in Ecclesia, & loco Sacro transeat in Sacrilegium, & sit exprimenda hæc circumstantia tanquam mutans speciem? *Resp.* Negativè, quia censetur tantummodò circumstantia, quæ aggravat, ut ex Vasquez docet Anton. Volpi in Resolut. Moral. resol. 26. num. 24. Contrarium tamen tanquam magis verum scripti de Poenitentia. Decis. 28. num. 2. ubi DD.

40. *Quer.* An sit blasphemia, jurare per Vitam Dei, vel Mariæ Virginis, aut Divi Petri? *Resp.* Affirmativè, quia tale Juramentum censetur execratorium, & habet vim dicendi, si hoc non est verum, moriatur Deus, Deipara, D. Petrus; quod quidem impium est, & blasphemum. Azor. tom. 1. Instit. mor. lib. 11. cap. 3. q. 2. Pignatell. tom. 8. consult. 143. ubi alii casus.

41. *Quer.* An dicere *Al dispetto di Dio* sit blasphemia? *Resp.* Affirmativè, ut docet Covarruvias de Pactis part. 1. §. 7. num. 5. & Menoch. de Arbitr. cas. 375. num. 4. eò, quia dicta Verba significant, etiamsi Deus nolit, faciam hoc; ut explicat Pignatellus dict. tom. 8. cons. 143. num. 19.

42. *Quer.* An, si quis iratus proferat hæc verba *Corpus Dei, vel Sanguis Dei*; dicatur blasphemare? *Resp.* Quòd non; dummodo non ea proferat ex contumelia in Deum, sed ex ira contra aliam personam: ita, ut multi reputent, esse peccatum veniale irreverentiae nominis Dei. Sotus de Juramentor. abusu cap. 6. Valent. 2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1. Vers. Sed tantum illud. Pignatellus ubi supra num. 18. & Decisiones Cleri Patavini Anno 1682. Mense Junio ad Primum.

43. *Quer.* An sit blasphemia vulgò, *cospettare*; & dicere *al cospetto &c.* vel *al cospettone &c.* seu *cospettonazzo &c.* *Resp.* Quòd verbum *al cospetto*, secundum P. Cassianum à S. Elia d. decis. 63. num. 29. non videtur blasphemia; quia aliud non significat, nisi *alla presenza di Dio*. Alia autem Verba *al cospettone*, & *al cospettonazzo* esse blasphemias, quia nominant Dei præsentiam cum magna irreverentia, & contemptu. Porro ego aliud sentio de verbo: *Al cospetto*; quòd blas-

phemum reputo: ea ratione, quia apud proferentes, & apud illud audientes non sonat *alla presenza di Dio*; sed *al dispetto di Dio*, & in onta di Dio, ut manifestè patet audientibus. & considerantibus talia verba prolata ab hominibus iratis, & exagitatis appetitu vindictæ; ajunt enim, faciam hoc seu non faciam hoc *al cospetto di &c.* videlicet *al dispetto*, h. e. velit, nolit Deus; & ita negant Divinam Omnipotentiam, eamque à Deo auferunt. Ulterius dictum verbum *al cospetto* continet magnam irreverentiam contra Deum, quia à piis auribus non sentitur, nisi cum horrore, & dolore offensæ Dei; & ex hoc etiam capite reputandum est blasphemiam, ut concedit in fine ipse P. Cassianus à S. Elia d. decis. 63. num. 31.

44. *Quer.* An, qui audiunt aliquem blasphemantem, & illum non denunciant, incurrant in aliquam poenam? *Resp.* Si blasphemia sit hæreticalis, incurrunt in excommunicationem, ut notat Pignatellus dict. tom. 8. consult. 143. num. 12. In aliis autem blasphemias non hæreticalibus attendenda sunt dicta supra num. 35. & Baldellus ibi Status.

45. *Quer.* Qui possit absolvere blasphemos? *Resp.* Solus Papa, si dixerint blasphemias hæreticales. Solus Episcopus, si blasphemia simplex sit ei reservata. Ac etiam, si fuerit prolata hæreticalis, dummodo in corde non habuerit errorem contra fidem. Diana Coordinatus tom. 5. tract. 8. resol. 25. ubi DD.

CAPUT XXXV.

De Simonia.

1. *Quer.* Quid sit Simonia? *Resp.* Esse studiolum voluntatem emendi, vel vendendi aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. Decisiones Cleri Patavini Anno 1682. Mense Octobri ad Primum, ubi notatur, esse peccatum contra virtutem Religionis prohibitum Jure Divino, Naturali, & Ecclesiastico.

2. *Quer.* An in Materia Simonia detur parvitas Materiae, quæ excuset à mortali? *Resp.* Nonnullos DD. affirmare, quos refert Diana part. 5. tract. 5. res. 2. Quæ in Coordinato est tom. 5. tract. 7. res. 2. Sed communiter negare gravissimos Auctores, inter quos Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5. & Pasqualig. decis. 478.

3. *Quer.* Quotuplex sit Simonia? *Resp.* Quòd Simonia consideratur vel ex parte modi, vel ex parte Juris. Quoad modum, Simonia est Triplex, Mentalis, Conventionalis, & Realis. Reginald. lib. 10. cap. 27. n. 429. Quoad Jus alia est prohibita de Jure divino, & alia de Jure Ecclesiastico. Bonacin. tom. 1. De Simonia disp. 1. q. 2. à num. 1. & seqq.

4. *Quer.* Quæ sit Simonia Confidentialis? *Resp.* Illam esse, quæ committitur in resignationibus beneficiorum, vel cum pacto transmittendi beneficia in tertiam personam, vel exigendi partem fructuum, aut Pensionem infcio Pontifice, contra Bullam